

pena non debet infligi volenti sine culpa, ei tamen qui se voluntarie obligavit ad aliquam poenam, potest talis poena infligi sine culpa. Hæc Bandellus. Quæ verba apertissime favent mihi & pugnant cum Cajetano. Rursum, opinio & sententia Cajetani aperte contradicit literæ beati Thomæ. Nam beatus Thomas reddens rationem, quare fratres sui Ordinis obligantur ad poenam taxatam sustinendam, ait: Quia per hunc modum ad talia observanda obligantur. Hæc ille. Si Monachus omittens sustinere poenam, ad quam per statutum obligatur, nullam culpam incurrit, nullo modo per obligationem ad poenam sustinendam obligabuntur fratres ad servanda statuta. Si vero dicamus, prout dicere cogimur, eum qui poenam omittit peccare, facile est cognoscere, quomodo per obligationem ad poenam obligabuntur fratres ad servanda statuta. Quia ne in talem obligationem ad poenam incidant, conabuntur servare statuta. Nec est quod hoc remiretur aliquis, ut quis omittens rem per legem decretam non peccet, & omittens subire poenam propter transgressionem legis ab eadem lege impositam, peccet. Nam aliqua fuerunt olim in lege Moysæ præcepta his prorsus similia, ut docet Scotus in ultima quæst. tertii. Sentent. ubi de oneribus veteris legis loquens, hæc ait: Licet possent tangere morticinum & huiusmodi, incutiebant tamen ex hoc multas immunditias, ad quarum purgationem si non faciebant quæ in lege mandabantur, peccabant mortaliter, sicut explicatur ibi: *Anima que fecerit vel non fecerit, sic & sic mori moriatur, & peribit de populo meo.* Quæ est comminatio damnationis æternæ. Hæc Scotus. Ad hunc modum videretur mihi sentire beatus Thomas de statutis sui Ordinis, ita ut fratres sui Ordinis, licet non obligentur per sua statuta ad culpam aliquam, obligantur tamen ad poenam in illis taxatam sustinendam, ita ut poenam illam subire omittens, aliquo modo peccet. Sed opus est ut videamus, quo argumento suam nobis nititur persuadere opinionem Cajetanus, & quam illi facile responderimus, actum erit de sua opinione. Sic enim argumentatur: Lex ista universalis est, & non particularis, quomodo dicimus: Nolumus quod statuta nostra obligent ad culpam, sed solum ad poenam. Constat autem, quod si transgressio in operando excusaretur à culpa & omisso poena non excusaretur à culpa, jam particularis esset lex ista. Hæc ille. Quam parum valeat hoc argumentum, ex his quæ diximus, clarissime constat. Lex illa, quæ dicit statuta non obligare ad culpam generalem est, & universalis, quoad omnia quæ fieri præcipiuntur, aut prohibentur, præterquam ad sustinendam poenam. Hæc enim lex particularis de obligatione ad poenam, etiam si in loco remotissimo ab illo priori statuto fuisset collocata, semper (ut supra diximus) intelligeretur excepta in illa lege generali, quæ tollit ab omnibus statutis obligationem ad culpam, nec ideo prior illa lex desineret propter talem exceptionem dici universalis. Et inde convincitur, ut lex illa non desinat etiam esse universalis, propterea quod statim ab illa excipitur obligatio ad poenam. Exceptio siquidem, aut tacita, aut expressa non tollit quin elocutio sit universalis respectu aliorum, quæ non excipiuntur. Si quis enim sic loquatur: Nullum animal præter hominem est risibile. Quia homo est ab illa universitate exceptus, non obstat tamen talis elocutio non sit merito dicenda universalis ad reliqua omnia præter hominem. Et si forte Cajetanus contendat non esse dicendam propositionem, aut legem universalem, ubi est aliqua exceptio, contentio erit de sola vocis significatione: sed tunc negabo id, quod in suo ar-

gumento assumpserit, sic dicens: Lex illa universalis est, & non particularis quomodo dicimus: Nolumus quod statuta nostra obligent ad culpam, sed solum ad poenam. Nam per hoc quod statim excipitur obligatio ad poenam, jam non erit, juxta suppositum, lex universalis. Cum igitur jam aperte ostenderit argumentum Cajetani nullius esse torboris, cogor in mea sententia persistere, prout dicam fratres Ordinis Prædicatorum, licet non obligentur, ad culpam ex vi suorum statutorum propter illa, quæ in illis, aut mandantur, aut prohibentur: tamen ex vi sui statuti sic obligantur ad poenam, quod si illam ex deliberatione omiserint, culpam (ut Bandellus dixit) incurrunt. Quia etiam non statim, ut factum est, sed post multa alia verba statutum conderetur de obligatione ad poenam, esset necessario intelligendum, legislatorem per illam particularem legem voluisse in illo casu derogare priori legi generali. Quo fit, ut (juxta ea quæ diximus) illa particulari lege data, sit statim in lege priori generali necessario intelligenda exceptio posterioris particularis legis, quamvis talis exceptio non exprimat aperte in priori lege generali. Hinc sententia consonat, & vehementer favet, quod lege communi definitum est, clausulam generalem non esse referendam ad negotia, quæ speciales clausulas habent, ut dicitur in l. Doli, clausula, ff. de Verborum obligationibus. Et juxta hunc modum sunt necessario intelligenda multa statuta, quæ in diversis Collegiis Universitatis Salamanticensis habentur, nisi quis velit dicere, alicujus Collegii fundatorem, aut statutorum illius conditorem, adeo ignorantem & stupidum fuisse, ut secum pugnantia statuta conderit. Sunt in Universitate Salamanticensi, in qua hæc scribo, multa & varia studentium Collegia à diversis personis condita, & propriis redditibus dotata, in quorum quolibet certus studentium numerus alitur ex propriis Collegii redditibus. Quodlibet istorum Collegiorum præter generalia statuta, quæ omnibus studentibus Salamanticensi Universitatis à Summo Pontifice data sunt, propria habet statuta, à Apostolica auctoritate condita, quæ illi ad bonum ejusdem Collegii regimen illius fundator reliquit. In aliquibus istorum Collegiorum statuta à principio, per generale statutum admonet fundator studentes duos, nullum suorum statutorum obligare reos ad culpam, nisi illi aliunde fuerint lege divina, aut canonica obligati ad aliquid istorum, quæ in suis statutis continentur. Post hoc generale statutum, continentur aliquæ particulares constitutiones, in quibus idem legislator statuit, ut qui hoc, aut illud fecerit, sit obligatus in foro conscientie ad hanc, aut illam poenam. Ubi huiusmodi statuta habentur, certum est peccare, qui illam poenam omiserit solvere, nec liberari illum à peccato, quousque poenam reddat. Quia licet generale statutum dicatur nullum istorum obligare ad culpam, tamen particula illud, quod postea conditum est de obligatione ad poenam in foro conscientie solvendam, facit exceptionem ab illo generali statuto prius posito. Et eo ipso, quod tale particula statum conditum est, cogimur, ut in priori illo generali intelligatur hoc particula esse exceptum, ita ut hic sit sensus illius prioris universalis statuti. Nullum nostrum statutum obligat ad culpam, præter illud, in quo ponitur obligatio in foro conscientie ad poenam. Nam nisi ita illud statutum interpretemur, necessario erit dicendum, illa duo statuta, generale videlicet & speciale pugnare inter se, & se invicem destruire. Et si quis adeo effrons est, & suo patrono adeo ingratus, ut non vereatur fateri illum pugnantia statuta condidisse, cogetur necessario dicere, nullorum illorum

rum duorum statutorum aliquid valere. Quoniam sicut universale statum destruit particula, ita & contrario particula destruit universale. Quia igitur ratione tollitur unum, tollitur & reliquum. Ne igitur utramque tollamus, oportet ut utrumque suscipiamus, & in concordiam ea redigamus. Hoc autem aliter fieri nequit, nisi illud universale statum interpretando cum exceptione alterius particularis statuti subsequens. Quoniam nisi ita fiat, oportebit dicere legislatorem fuisse mendacem, quum illud particula statum condidit: dicit enim se obligare per illud in foro conscientie ad poenam. Necessarium igitur est statutum illud obligare (ut ait) in foro conscientie ad poenam, aut illius conditorem tunc fuisse mentitum. Eadem profus apud fratres Minorum eveniret, si ante illo priori generali statuto, quod admonet nullum eorum incurrere poenam per sua statuta ipso facto impositam, nisi post declarationem à prelo factam, si post hoc statutum, statueretur aliquod particula, quod decerneretur, ut faciens hoc, aut illud, incidat in talem poenam, ad quam in foro conscientie sit ipso facto obligatus, non est dubium, quia illud particula statum obligaret fratrem reum juxta istorum verborum tenorem. Nam postquam fratres illi ad quos spectat, conderunt illud prius universale statum, per quod tollitur omnis obligatio ad culpam, non se sic ligaverunt, aut suam potestatem sic minuerunt, ut non possint in aliquo particulari casu derogare illi universali statuto. Certum est autem illos, non posse clarioribus & apertioribus verbis id, quod possunt exprimere, quam dicendo se in casu illius particularis statuti velle obligare subditos ad poenam in foro conscientie statim solvendam. Ergo tunc non obstante priori generali statuto, erit reus obligatus in foro conscientie ad poenam ante iudicis declarationem. Alioqui si iudicis declaratio esset adhuc necessaria, prout in priori illo generali statuto dicitur, non esset reus in foro conscientie ligatus, prout decernit posterior particula statum. Quia iudicis sententia, quæ juxta juris ordinem, processum ad causæ cognitionem requirit, non pertinet ad forum conscientie, quod in occulto & sine testibus fit.

C A P U T IX.

Respondeatur rationibus & argumentis, quæ pro illis, qui contrariam tulerunt opinionem, possunt adduci.

Quamvis sententia, quam in præcedenti capitulo asserimus fuerit manifestis (ut ego censeo) argumentis, & multiplici doctorum vitorum testimonio comprobata, sunt tamen multi alii non infimæ auctoritatis viri, tam Theologi, quam Juris humani periti, qui constanter docent, nullam legem poenalem obligare ream ad aliquam poenam ante sententiam iudicis, quæ declararet crimen illud esse perpetratum, propter quod fuerat à lege imposita poena. Istorum sententias non est opus impræsentiatum eodem verborum tenore, quo ab illis dicantur, citare, prout hæcenus feci. Quia etiam istorum verba non referam, nulla poterit justa oriri suspitio, me istorum dicta falso citasse. Nam cum ego dicam illos esse mihi contrarios, justum est, ut omnes mihi præbeant fidem, nisi forte aliquis me adeo stupidum, aut hebetem putat, ut fautores & patronos meos dicam esse adverte parus advocatos, & eos qui pro me militant, dicam contra me aperto Marte pugnare. Ne igitur chartas in

vanum implere videar, satis me lectori facturum existimavi, si sola Doctorum, qui mihi contrariam tulerunt opinionem, nomina recenseam, & loca in quibus istorum sententias invenire possit, velut digito ostendam. Bartholus in l. Eius qui delatorum, ff. de Jure fisci. Archidiaconus, in cap. Cum secundum leges, de Hæreticis, lib. 6. Petrus Ancharanus, in eodem capitulo. Philippus Francus, in eodem capitulo. Alexander, in l. Si quis major, C. de Transactionibus. Guillelmus Benedictus, in magno illo opere quod fecit super cap. Rainutus, de Testamentis, part. 2. Hyppolitus Marsiliensis, in sua Practica Causarum criminalium, in §. Aggredior, numero 105. & in Rubrica, ff. Ad legem Corneliam, de Falsis, numero 24. Alciatus, in l. Cum postquam, C. de Pactis, & in l. Si quis major, C. de Transactionibus. Ex nostris Theologis, Cajetanus, qui in Commentariis super 22. (ut præcedenti capitulo citavimus) dixerat legis sententiam latam obligare in conscientia ad poenam in ea decretam, tamen in sua Summa, de Peccatis, in titulo, Poena, dicit esse semper necessariam iudicis sententiam, non solum eam, quæ declarat crimen esse commissum, sed quæ reum damnat ad poenam, quod à nemine alio dictum esse scio. Sylvester de Prierio, in sua Summa, in titulo, Hæresis 1. quæst. 8. & in titulo, Poena, quæst. 25. Novissimus quæstionum Theologorum, quos scripsisse noverim, istorum omnium sequitur sententiam Joannes Medina in illo suo opere de Contractibus, sive de Restitutione, in quæst. 22. ubi disserit de his, quæ acquisita sunt in Judo alearum. Hi sunt, quos novi contrariam meæ opinioni tenere sententiam, quamquam magna istorum pars non de sententia legis poenalis, sed de illius executione loquuntur: ita ut ad solam executionem sententie, quæ ministerium hominis requirit, dicant sententiam iudicis esse necessariam. Sed hæc res, quæ est de executione sententie, longe aliam perit disputationem, de qua in capitulo proxime sequenti disseram: quoniam impræsentiarum non de executione sententie, sed solam de obligatione ipsius sententie differo. Nostris Theologi (ut quod de illis sentio, candide loquar) Jurisperitorum in hac parte sententiam legentes, illam sine ulla discussione (ut ego suspicor) sunt sequuti. Nam si rem hanc, quæ ad illos, tamquam ad legis naturalis & divine peritos, optimo jure spectabat, diligenter investigassent, & illius origines optime fuissent perstrutari, non dubito quin aliter sensissent: quoniam nulla est ratio quæ Theologos, aut Jurisperitos cogere potuit, ut hanc tuerentur sententiam. In omnibus enim Theologis, qui hanc tulerunt opinionem, nullum reperi argumentum, quo ostendant se fuisse persuasos ad talem opinionem suscipiendam, sed sola quorundam Jurisperitorum auctoritate persuasi, istorum subscripsere sententia. Nec si illam quævisissent, potuissent (ut ego censeo) talem invenire, qualem viros Theologos decebat. Nam illa sumenda erat ab illis ex lege naturali, aut divina, circa cujus intelligentiam potissimum Theologi versantur. At nulla est lex divina quæ doceat non posse legem aliquam statui, quæ obliget reum ad poenam subeundam, absque aliqua iudicis sententia. Quoniam si aliqua talis esset, aut naturalis esset, aut ab eodem Deo post conditam naturam posita. Naturalis lex esse non potest, ut ex his, quæ cap. 4. huius secundi libri diximus, apertissime convincitur. Nam ibidem ostendimus multas in veteri testamento esse leges, quæ peccatorum conscientias olim obligabant sine aliqua iudicis sententia ad reddendum poenas, quæ in illis erant decretæ. Et, quod magis urget,

gonus, & non de aliis loquutus est. Tertio, peccat illud argumentum quod ex auctoritate illius prædictæ glossæ in cap. Fraternitas, adductum est: quia etsi gratis concedere velimus, ex illo particulari quod beatus Gregorius definit circa res Ecclesiasticas posse colligi regulam generalem circa alia, hoc solum verum esset circa illa omnia in quibus inveniretur similis causa, & eadem rationis similitudo, & non circa illa inter quæ est maxima dissimilitudo. Inter leges poenales, quæ sententiam à iudice ferendam continent, & alias quæ latam continent sententiam, tanta est dissimilitudo, ut Andreas Tiriquellus in Commentariis super l. Si unquam, C. de Revocandis donationibus, enumeret quinquaginta & sex discrimina inter illas. Quamvis igitur illud Gregorii dictum de poena propter furtum non recipienda, possit propter similitudinem ad alias poenas extendi, ad solas illas esset dilatandum, quæ sunt statuta per legem poenalem quæ sententiam solum à iudice ferendam continet. Nam hæc solæ sunt quæ habent similitudinem cum lege quæ propter furtum poenam statuit, quia hæc etiam decernit poenam quæ est à iudice infligenda. Ad alias autem leges poenales quæ continent sententias latas, dictum Gregorii non potest applicari, propterea quod poena furti de qua loquitur Gregorius, longissime distat ab illis. Et quantum ad glossam in hac parte spectat, bene se res habet, quod illa non excedit dictum Gregorii, nec ad plura se extendit, quam ad illa de quibus loquitur Gregorius, ut puta de poena furti. Quamquam aliquid in hac parte videtur augere illius sententiam, cum glossator absolute & universaliter de omni furto loquatur, quod Gregorius de solo furto rerum Ecclesiasticarum dixerat. Male igitur multi Theologi & Jurisperiti faciunt, qui plus prædictam glossam dicere referunt, quam illa dicat. Nam illa litteræ illius textus ad hæc de sola poena propter furtum statuta loquitur, ut ex verbis illius quæ supra citavimus aperissime constat. At multi Theologi & Jurisperiti citant illam pro se, ac si generaliter de omni poena loqueretur. Et ideo melius alii Jurisperiti illius sensum animadvertunt, qui dicunt glossam illam esse intelligendam de sola lege poenali quæ sententiam à iudice ferendam continet, & ad solam illam dicunt sententiam glossæ esse limitandam. Sed certe (ut ingenue loquar) non erat opus glossatoris sententiam temperare, vel (ut illi loquuntur) limitare, quia ille iam temperate loquutus est, ut de sola poena furti suam protulerit sententiam. Et inde constat illos potius glossatoris sententiam dilatare quam limitare, cum ad omnem sententiam à iudice ferendam extendant, quod de sola poena furti glossator dixerat. Sed qui sic glossatoris sententiam interpretantur, & (ut ipsi ajunt) limitant, quia in ea causa, de qua potissimum inquirimus, nobis favent, ideo illorum sententias in nostrum favorem citare decrevi. Abbas, in capitulo primo, de Constitutionibus, postquam juxta sententiam prædictæ glossæ, in capitulo Fraternitas, dixerat poenam impostam per legem positivam non obligare in foro poenitentiae, hæc quæ sequuntur ait: Hoc limitarem, nisi lex imponeret poenam ipso facto, ut quia ipso facto publicat bona alicujus, quia tunc non potuit quod ille possit retinere bona publicata cum bona conscientia. Hæc ille. Sed quia forte aliquis male sententiam Abbatis intelligens, propterea quod ille dixit se putare, opinabitur Abbatem in hac sententia fuisse dubium, prout quidam Jurisperiti se sentire mihi ostendit, volens hac ratione hoc dictum Abbatis rejicere: ideo in cap. Dilecti, de Arbitris, iterum de prædicta glossa differens,

priorem suam sententiam firmo animo repetit, sic dicens: Prædicta ego limito, ubi poena venit imponenda per iudicem, secus puto ubi poena esset imposta ipso facto. Hæc ille. Felinus, in eodem capitulo, Canonum statuta, numero 43, de Constitutionibus, citat hanc Abbatis sententiam, & laudat eam, & pro viribus tuetur illam ab eis, quæ suo iudicio poterant contra illam proferri. Nam differens illic de sententia hujus sæpe dictæ glossæ, hæc quæ sequuntur verba refert. Recipit tamen glossa dicti cap. Fraternitas, quinque limitationes. Et primo limitatur secundum Dominum Abbatem hic, nisi lex exponeret poenam ipso facto: quia tunc non putat ipse quod possint retineri bona publicata cum bona conscientia, quia jus est statim quaesitum sicut. Et paucis interpretis, subdit: Nec obstat huic limitationi, licet ipse non dicat, quod quis in conscientia retinet bona ipso iure amissa utendo præscriptione, capitulo tertio, de Præscriptionibus, libro sexto, quia ibi erit ignorantia poenæ, ut patet ex textu in verbo Bona fide. Nec etiam obstat quod poena non conscientiam inventarium sit imposta ipso iure, l. fin. §. Si vero, C. de Jure deliberandi, & tamen non incurrit, in foro conscientia, ut dictum est, quia lex imponit illam poenam propter præsumptionem fraudis: ideo si veritas est in contrarium, non ligat in foro conscientia, secus si vere intervenisset fraus. Ex quibus habes duas novas restrictiones ad hanc limitationem Domini Abbatis. Hactenus Felinus, qui aperitissime Abbatis sententiam tuetur. Eidem sententia subscribit Andreas Tiriquellus in illis jam sæpe citatis Commentariis super l. Si unquam, in verbo, Revertatur, C. de Revocandis donationibus. Hujus verba, ne semel dicta repetam, nolui hic citare: quia in præcedenti capitulo fuerunt jam per me citata. Limitat adhuc secundo illam sæpe dictam glossam Felinus, nisi reus esset jam condemnatus ad poenam, quia tunc obligaret poena (ut ipse ait) in foro conscientia. Et pro hac citat Baldum in l. Id quod pauperibus, in questione 9. in fine C. de Episcopis & Clericis, & Petrum de Ancharano, in regula, Possessor, de Regulis juris, lib. 6. Necessaria quidem erat hæc limitatio, quia si glossa illa ita universaliter accipienda esset, ut multi illam accipiunt, sequeretur inde quod ille qui condemnatus est à iudice ad poenam, non teneretur ad illam in foro conscientia, quod constat esse falsum ex iis quæ supra diximus capite secundo hujus libri secundi. Quod autem hoc sequatur ex illa glossa, ex eo convincitur quod illa indistincte loquitur de poena furti dicens, quod in poenitentia non debet illi injungi, ut rem furtivam restituat cum poena. Nec ullum possit discrimen inter ipsam poenam, an esset jam ad illam damnatus furti, an non? Philippus Decius in illo cap. Canonum statuta, de Constitutionibus, numero 20. licet non probeat sententiam Abbatis de illa glossa sæpe dicta, alia tamen via illam glossam defendens nostræ principali sententia favet, quia in præcedenti capitulo diximus legem poenalem, quæ sententiam à iudice latam continet, obligare reum in conscientia ad poenam in lege decretam. Nam postquam Abbatis opinionem retulit, & illam utcumque rejectit, hæc quæ sequuntur ait. Modo his relatis circa conclusionem supra factam de glossa in dicto capitulo, Fraternitas, advertendum est, quod si poena commensurata sit ad delictum videtur quod non sit vera. Nam poena debet commensurari delicto, cap. Quæsitur, de his quæ sunt à majore parte capituli: & in cap. Felicis, §. Illud, de poenis, in 6. & 34. quæst. 1. cap. Afferamus stateras. Et si poena sit

fit conveniens, lex videtur iusta, quæ fundata est in publica utilitate, quæ est ut delicta puniantur, cap. Ut famæ, de Sententia excommunicationis: ergo etiam in foro conscientia obligare videtur. Facit glossa in cap. Jus gentium, in verbo, Servitutes, distinct. 1. quæ dicit quod iuste captus peccat, si au fugit. Et idem glossa in Clementina, Pastoralis, in verbo, Per violentiam, de Re iudicata. Et quia obligatio ex delicto respectu poenæ est de jure naturali, ut notat Bartholus in l. Ex hoc iure, col. fin. ff. de Justitia & jure glossa, in l. Servus, ff. de his qui notantur infamia. Textus in l. fin. Ubi Angelus, C. de Collatione fundorum patrimonialium, lib. 11. Et bonus textus, in l. Eius qui delatorem, ff. de Jure fisci. Ergo etiam in foro conscientia obligare videtur: quia foris conscientia secundum jus naturale judicatur. Glossa in dicto capitulo, Fraternitas, salvari potest, quando poena delicti excessiva est. Tali casu esset lex iniusta, quæ in foro conscientia non obligaret, ut supra dictum est in secunda conclusione. Ex quo inferitur, quod lex quæ poenam imponit, ratione poenæ, non plus, vel minus conscientiam adstringit, sed solum vis tota in hoc consistit, an lex sit iusta, vel iniusta, licet Doctores communiter aliter loquantur, & glossa, in dicto cap. Fraternitas. Hactenus Philippus Decius, cujus omnia verba nolo discutere, an vera sint, sed satis mihi est ostendisse illum in hac esse sententia, ut putet legem poenalem perinde obligare ad poenam in foro conscientia, ac posset obligare ad alia quæ per legem statuerentur. Hujus sententiam tam prolixè, nec ullo illius verbo mutato, citavi, quia propter illa quæ ante duos annos in opere illo de Justa Hæreticorum punitione scripseram, quidam Jurisperiti obijerunt mihi omnium Jurisperitorum, præter Abbatem, sententiam, inter illos recensuit Philippum Decium, tamquam mecum, velut ex diametro pugnantem. Ex verbis tamen illius quæ nunc proxime citavi, aperitissime constat illum mihi favere, tantum abest ut mecum pugnet. Et ne videatur ille in hac sententia fuisse dubius, aut parum constans, eandem sententiam, & fere sub eisdem verbis repetit in l. Quod à quoquam, ff. de Regulis juris. Hanc Philippi Decii sententiam sequitur Joannes Ferrarius Montanus, in prædicta l. Quod à quoquam, ff. de Regulis juris. Nam postquam aliquibus argumentis probavit iuste posse poenam cum augmento recipi, hæc quæ sequuntur ait: Quare non valde suspicor quod glossemarius in citato cap. Fraternitas, augmentum illud poenæ, quod recipi non queat, innaturale esse somniat. Philippus Decius majus delicto, eique minus commensuratum, quasi tunc poena etiam in conscientia foro possit recipi, si delicto habeatur æqualis, aut si iusta lex sit quæ ipsam statuat. Neque in præsentia Cajus aliquid discriminat, sed vult quod poenæ nomine sit expensum repeti non solere: utque adeo neque de poena in obsecris ambigimus, quin sit ad delicti mensuram exacta, nec de lege eam statuentem quin sit iusta. Hactenus Joannes Ferrarius Montanus, qui Philippo Decio subscribit. Sed istorum duorum sententiam, quamvis ea parte qua mihi faverit Cajus legem quæ sententiam continet à jure latam, libenter amplectar; alia tamen parte qua dicit omnem legem poenalem, sive sententiam contineat latam, sive ferendam, semper obligare in conscientia, si iusta sit, & poenam delicto commensuratum statuat, ego nullatenus recipere possum, sed illam toto animo rejicio, quia longissime distat à recta ratione. Nam si lex illa continet sententiam à iudice ferendam quantumlibet iusta sit, & poenam delicto commensuratum statuat, numquam

obligabit in conscientia reum ad poenam (ut cap. 2. hujus secundi libri probavi) nisi prius fuerit à iudice damnatus ad illam. Argumentum autem quo motus est Philippus Decius, ut tam irrationabilem sententiam, teneret, tam debile est, ut vehementer admirer hominem tam doctum, ut ille erax, fuisse sic victum ab illo, ut respondere nesciret. Sic enim arguit: Omnis lex iusta obligat in conscientia: omnis autem lex poenalis, sive sententiam contineat latam, sive à iudice ferendam, est iusta, si poenam delicto commensuratum statuat: ergo omnis talis lex obligat in conscientia. Consequenter, hoc potissima simul cum quibus antecedentis paribus. Hoc argumentum est quod continetur in illa prolixo suorum verborum discursu quæ supra citavimus, quod ego in his brevibus verbis comprehendere, ut melius possit intelligi, fateor omnem legem poenalem, sive sententiam contineat latam, sive à iudice ferendam, obligare in conscientia, prout argumentum probat, sed non eandem personam obligat utraque lex. Nam lex poenalis quæ sententiam à jure latam continet, obligat reum ad poenam. At lex poenalis quæ sententiam à iudice ferendam continet, quamvis obliget in conscientia, non tamen reum, sed iudicem cui illa lex committitur, ut poena illa reum puniat. Omnis itaque lex poenalis, si iusta est, obligat in conscientia, sed non omnis idem genus personæ, quoniam altera (ut dixi) obligat reum, altera iudicem. De hac tamen obligatione quæ respicit iudicem & non reum, non disputamus nunc, nec de illa mota fuit impræsentiarum quaestio. Illa enim est quaestio longe distantissima ab ista quam nunc discutimus, in qua solum inquirimus de obligatione legis poenalis, quatenus illa respicit criminis reum qui poenam pati debet, & non iudicem, cujus mandato poena est infligenda reo. Nam de hac obligatione legis poenalis erga iudicem inferius uno integro capitulo, Deo favente, differemus. Itaque Philippus Decius dicens, omnem legem poenalem iustam obligare in conscientia, si intelligit omnem talem obligare in conscientia reum contra quem lex poenam statuerat, pessime errat: quia aperitissime constat eam legem poenalem, quæ sententiam continet à iudice ferendam, non obligare reum ad poenam antequam ad illam sit à iudice damnatus. Si vero intelligit omnem talem legem poenalem obligare in conscientia, quamquam non semper idem genus personæ, sed nunc reum, nunc iudicem, in hoc sensu verum est quod ait. Sed juxta illum sensum non contradicit communi omnium Doctorum sententia, prout se facere gloriatur: immo potius communi omnium Doctorum favet sententia. Nam etsi aliqui Doctores dicant, necessariam esse iudicis sententiam, ut lex poenalis, quæ sententiam continet à jure latam, obligare possit, nullus tamen, præter Cajetanum, dicit oportere poenam esse condemnativam, sed satis esse dicunt esse criminis declarativam. Et inde aperitissime convincitur, ut data à iudice tali sententia, quæ declarat crimen fuisse perpetratum, sola lex poenalis sit quæ obliget reum ad poenam: quia sententia à iudice lata nihil circa poenam, sed solum circa crimen, propter quod est poena infligenda, ait: Omnes igitur juxta hunc sensum in hac sunt sententia, ut dicant omnem legem poenalem iustam obligare in conscientia, quamvis non omnis talis lex idem genus personæ obliget, sed aliqua reum, aliqua iudicem. Injuste igitur Philippus Decius reprehendit Abbatem, qui hanc omnibus communem tenet sententiam. Nam Abbas hac solum parte separatur ab aliorum opinione, quod ille non putet sententiam iudicis esse necessariam, quam alii multi necessariam

pro libro capi ab eo, qui haereticus non esset, dicente sic: A
 co haereticum esse eam, qui vere Catholicus esset. Et hinc
 aperte deducitur, ut licet argumentum a similibus valeat
 in legibus poenalibus sicut in aliis, non liceat ex illo capi
 Cum secundum leges, inferre, nisi quod ubi quique per
 sona, quae debet exequi sententiam a iure latam, non po
 test iudicare de crimine, propter quod imponitur poena,
 ubi semper sit necessarium, quod precedat sententia crimi
 nis declaratoria data a iudice competente, antequam per
 sona illa exequatur sententiam a iure latam. Sed crimi
 de quo agitur in cap. Pro humani, de homicidio, lib. 6.
 tale est, quod is, qui potest executionem sententiae contra
 illud data habere, potest etiam de eodem crimine iudicare.
 Et ob hanc causam in illo cap. Papa non praecipit sicut in
 cap. Cum secundum leges, ut ante sententiae executionem
 procedat sententia criminis declaratoria, immo potius aper
 te dicit, illam non esse necessarium. Nam postquam dicit
 assestinos, & illorum fautores, atque receptatores, in
 currere ipso facto depositionem a dignitate, honore, ordi
 ne, officio, & beneficio, statim facit verba subdit: Et illa
 libere aliis per illos, ad quos eorum collatio pertinet, con
 ferantur. Ubi glossa in verbo *libere*, dicit: Etiam illo non
 vocato. Ex quibus verbis aperte constat, non esse
 necessarium iudicis sententiam. Quia si illa requireretur,
 non libere, ut dicitur textus, illi, ad quos spectat, pos
 sent talia conferre. Quoniam postea reus multa opponere,
 per quae talis libertas impediretur. Sicut igitur ex cap.
 Cum secundum leges, intulimus propter identitatem ra
 tionis, regulam generalem, qua dicitur semper esse neces
 sariam iudicis sententiam ad executionem sententiae a lege
 late, quando is, cui competit sententiae executio, non
 potest iudicare aut cognoscere de crimine: ita etiam eodem
 argumento oportebit ex praedicto cap. Pro humani, prop
 ter similitudinem rationis elicere aliam regulam generalem
 e contrario universaliter dicentem, quod ad executionem
 sententiae a lege late numquam requiritur iudicis senten
 tia, quando is qui potest sententiam exequi, potest etiam
 de crimine cognoscere, & iudicare. Et ita ex his omnibus
 convincitur illud cap. Cum secundum leges, pessime a
 multis citari, qui passim sine ullo defectu illud afferunt ad
 probandum id, quod ex illo cap. minime probari potest, D
 cum longe aliud in illo cap. definitur, quam ipsi putant.
 Hic res ipsa me cogit exorare candidum lectorem, ut om
 ni humano affectu secluso, & rejecto omni contentione
 amore, sed solo investigandae veritatis desiderio, diligenter
 consideret ea omnia, quae circa intelligentiam illius cap.
 Cum secundum leges, diximus, & aperte cognoscat nihil
 tale in illo haberi, quale a multis putatur, & deinde facie
 perspiciet ex mala illius intelligentia pessimum assumi
 argumentum.

Secundo, pro confirmatione suae sententiae argumen
 tantur auctoritate glossae in cap. Fraternitas 2. quaest. 3.
 quae (ut illi ajunt) censet numquam legem poenalem
 obligare reum ad poenam in foro conscientiae solvendam.
 Sed revera non possum non mirari, quod tot tantique viri
 hujus glossae auctoritate moveantur ad dicendum, nullam
 legem poenalem ante iudicis sententiam obligare reum in
 conscientia ad poenam, quae est per legem statuta. Nam in
 hoc argumento multo magis falluntur, quam in priori ar
 gumento ex cap. Cum secundum leges. Primo quidem
 constat, glossatorem illum non esse tantae potestatis, ut
 possit nobis leges dare. Possunt quidem hujusmodi Docto
 res leges & jura interpretari, sed non leges aut jura conde
 re. Id enim necessario censendum est de interpretibus juris

humani, quod de sacra scripturae interpretibus censet Au
 gustinus in epistola decima nona, quae est ad Hieronymum,
 sic inquit: Ego solis eis scripturarum libris, qui jura
 canonici appellantur, didici hanc maiorem honorem quae
 deferre, ut nullum eorum scribendo errasse audeam ore
 dere. Et aliquibus interpositis, subdit: Alios autem ita
 lego, ut quantumlibet sanctitate, quantum doctrina pol
 leant, non ideo verum patem, qualis ista sententia, sed
 quia mihi per alios auctores, vel sententias, vel probabili
 les rationes, quod a vero non abhorreat, persuadere pos
 sident. Haec Augustinus. Et in epistola ad Fortunianum
 iterum ait: Neque quorumlibet disputationes, quamvis
 Catholicorum & laudatorum hominum, veluti scriptu
 ras, canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, sal
 va honorificentia quae illis debetur hominibus, aliquid
 in eorum scripturis improbare, atque respicere, si forte
 inveniremus quod aliter sentiat, quam veritas habet,
 divino adiutorio ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego
 sum in scriptis aliorum, quales volo esse intellectores
 meorum. Haec Augustinus. Si sacrae scripturae, & jura
 divini interpretes, quamvis sanctissimi viri sint, non pos
 sunt (ut Augustinus ait) nos cogere, ut suam sententiam
 tanquam pro lege recipiamus, multo minus juris humani
 interpretes, qui non tanta sanctitate pollent, poterunt no
 bis praescribere leges, aut iura abrogare. Possunt quidem
 illi (ut dixi) jura interpretari, sed illorum interpretatio
 a reus recipienda est, quatenus illa textui consentire
 videtur. Si autem cum littera, quam interpretantur, velut
 ex diametro pugnat, aut a sententia litterae longe distat,
 non solum non est recipienda, sed multis modis explodenda.
 Et forte talis est haec glossa super cap. Fraternitas,
 nisi illam velimus benigne & pie interpretari.

Secundo, peccat hoc argumentum, quod ex sententia
 illius glossae factum est, quia etiam arguitur particulari
 ad universale, prout in priori argumento ex cap. Cum se
 cundum leges, quod argumentationis genus est aperte
 vitiosum. Nam glossa in illo cap. Fraternitas, non loquitur
 de omni lege poenali, sed solum de illa lege, quae prop
 ter furtivum jubet, ut non solum rem furto sublatam, sed
 aliquid ultra exigatur ab eo qui furtum fecerat. Et hanc
 legem dicit non obligare in foro conscientiae ad poenam in
 illa statutam. Ut autem omnibus confiteri, verum esse quod
 dico, verba ejusdem glossae hic inferere statui. Postquam
 glossator ille varias circa litteram illius cap. Fraternitas,
 dedit interpretationes, tandem ad ultimam, quae illi magis
 placuit, deveniens, haec verba dicit: Vel ponas casum sic.
 Quaesitum fuit, si aliquis confessus fuit Sacerdoti suo se fur
 tum fecisse, an in penitentia debet ei injungi, ut illam rem
 restituat cum poena. Respondeo quod non, & sic contraria
 non tangunt casum. Haec glossator. Contraria quae obje
 rat, dicit pertinere ad forum exterius, litteram vero illius
 capituli ad forum conscientiae. Quam sententiam ego ir
 ridentissime suscipio, tantum abest, ut ego illam oppugnare
 velim. Omnis enim lex humana, quae statuit, ut fur in
 poenam sui delicti reddat aliquid ultra id quod furto surrip
 puit, solum sententiam ferendam continet, & non latam,
 & proinde (ut cap. 2. hujus libri diximus) non obligat
 in conscientia furem, antequam sit a iudice condemnatus
 ad poenam. Ex hac autem particulari glossae sententia in
 ferre regulam generalem ad omnes leges poenales, ut nulla
 illarum possit in conscientia obligare ad poenam, est pessima
 consequentia & invalidum argumentum. Et certe glossa
 illa non potuit amplius, immo nec tantum quantum ipsa
 dicit, colligere ex littera illius textus quem interpretatur.

Nam

Nam B. Gregorius, cuius est ille textus, non de omni furto
 loquitur, sed solum de illo quo, aliquid ab Ecclesia
 ablatum est in quo iusta illam causa urgente, maluit pa
 ter ille sanctus mansuetudinem, & resum humanarum
 contemptum ostendere, quam severitatem. & cupiditatis
 ardorem: & ideo monet August. Anglorum Episcopum, ut
 furta illa sine augmento poenae recipiat. Neque hoc Gregorii
 dictum est ubique tenendum, sed solum in Anglia, in qua
 August. ille erat, & in qua quaesitum cui B. Gregor. responderet,
 mota fuit. Et ut quod dico clarius elucescat, oportet an
 tiquam, historiam repetere, ex qua hujus rei cognitio pen
 det. B. Gregorius misit Argusinum illum Episcopum, ad
 gentem Anglorum, quae illo tempore adhuc erat idololorum
 cultura dedita, ut illam ad Christi fidem converteret, &
 in illa intraret. Qua in re fideliter, & strenue Augustinus
 laboravit, prout beatus Gregorius lib. 9. sui registri, epist.
 58. testatur, & tot Anglos ad fidem Christi converterit, ut
 ob hanc causam dicitur fuerit Anglorum Episcopus. Hic
 ex Anglia undecim quaestiones misit ad Beatum Grego
 rium, obsecrans illum, ut pro meliori, & certiori Anglorum
 doctrina, illis omnibus responderet dignaretur. Inter
 illas undecim interrogationes, quae quarto loco collocata
 est, his verbis continetur: Obsecro quid pati debeat, si
 quis aliquid de Ecclesia furto extulerit. Huic interrogatio
 ni respondet beatus Gregorius ea quae in illo cap. Frater
 nitas, citantur a Gratiano, quamvis non integre ibidem
 citentur ab illo, sed truncata (ut fere semper facere solet)
 & mutilata. Si quis ea integra videre desiderat, inveniet
 in fine Registri beati Gregorii. Verba quae potissimum ad
 interrogationem Augustini respondent, sunt illa quae in
 fine illius capituli habentur, & sunt quae sequuntur: Addis
 etiam quo modo ea quae furto de Ecclesiis abstulerunt,
 reddere debeat. Sed abest, quod Ecclesia cum augmento
 recipiat, quod de terrenis videtur amittere, & lucra
 damnis querat. Haec Gregorius. Quibus verbis beatus
 Gregorius noluit revocare in universum antiqua Ecclesiae
 statuta, quibus praecipuum erat cum augmento reddere,
 quae ab Ecclesia fuissent furto sublata. Nam Eusebius Pa
 pa, qui per aliquot saecula Gregorium praecessit, fuit
 enim sub magno Constantino & Maxentio, hoc quod se
 quitur decretum statuit: Si quis Ecclesiasticas oblationes,
 & quod Deo consecratum est, rapuerit, vel consenserit
 facientibus, ut sacrilegus iudicetur, & damnus in qua
 druplum restituat, & canonicè poeniteat. Haec Eusebius
 Papa, & citantur ab eodem Gratiano in cap. In legibus
 12. q. 2. Et Joannes Papa hujus nominis tertius, qui
 etiam Gregorium praecessit, haec ait: In antiquis Ecclesiae
 statuta decretum est, ut qui aliena invadit, non exeat im
 punitus, sed cum multiplicatione omnia restituat. Haec
 Joannes Papa, & citantur etiam a Gratiano in cap. In
 antiquis, eadem causa & quaestione. Haec antiqua Ecclesia
 statuta non revocavit universaliter beatus Gregorius scri
 bens Augustino Anglorum Episcopo, sed dispensavit cum
 Ecclesia Anglorum, ut quia tunc nova erat, non exerce
 ret antiquam Ecclesiae severitatem cum illis, qui res Ec
 clesiasticas rapuerunt, ne Angli iudicassent viros Ecclesiasticos
 terum terrenarum cupidos, & hac occasione horruis
 sent illos, & recessissent ab eis, quod maximum esset dam
 num. Et hoc est quod dicere voluit B. Gregorius, quam
 dixit: Sed abest ut Ecclesia cum augmento recipiat, quod
 de terrenis rebus videtur amittere, & lucra damnis que
 rat. Nam damnus existimabat Gregorius illud scandalum
 quod Angli passi fuissent, ex ampliatione & augmento
 rerum furivarum, & cum tali damnus non vult Ecclesia

tale lucrum. Et ideo dixit, Abest ut Ecclesia iura damnis
 querat. Circa alias tamen Provincias, in quibus jam fides
 Christi creverat, & firmiter fundata erat, quia hoc scan
 dalum non timebatur, ideo hoc apud illas noluit valere,
 quod soli Anglorum Episcopi scripserat. Alioqui sibi ipsi
 contradiceret, qui (ut Gratianus scribit in cap. Si saeculi
 12. quaest. 2.) dicit illum qui alium defraudavit, de
 bere in quadruplum restituere. Nec opus est multis argu
 mentis, ut probem hanc esse beati Gregorii intentionem,
 cum ipse illam aperissime expresserit in sui registri lib. 12.
 epist. 31. Nam in ea epistola respondens Felici Episcopo
 Siciliae, qui interrogaverat illum aliqua similia is, quae
 ante interrogaverat Augustinus Anglorum Episcopus, haec
 quae sequuntur ait: Quod scripsi Augustino Anglorum
 gentis Episcopo alumno videlicet, ut recordatus es, tuo,
 de consanguinitatis conjunctione, ipsi & Anglorum genti
 quae nuper ad fidem venerat, ne a bono quod ceperat,
 metuetudo austeriora recederet, specialiter & non generali
 ter ceteris me scripisse cognoscas. Et paucis interpositis,
 subdit: Nam juxta Apostolum qui ait: (1. Cor. 3.) *Lac
 vobis potum dedi, non escam*, ista illis, modo non posteris
 (ut praefixum est) temporibus tenenda indulgimus, ne
 bonum, quod firma adhuc radice plantatum est, erueretur
 sed ceptum firmaretur, & usque ad perfectionem
 custodiretur. Sane si in his seculis quam desideramus, aliquid
 egimus, non propter ipsam, sed commiserando actum esse
 cognoscas. Unde testem invoco Deum, qui cogitationes
 omnium hominum novit, cuius etiam oculis omnia nuda
 sunt & aperta. Nam si ea destruerem quae antecessores nos
 tri statuerunt, non constructor, sed evulsor esse compro
 barer, testante veritatis voce, quae ait: (Luc. 11.) *Omne
 regnum in seipsum divisum non stabit, & omnis scientia Ex
 lex adversum se divisa, destruetur*. Ideoque necesse est, ut
 omnes concorditer statuta Sanctorum Patrum nostrorum
 reneamus. Haec Gregorius. Quibus verbis beatus
 Gregorius se nolle statuta antecessorum suorum destruere, ac proinde
 si quid Augustino Anglorum Episcopo respondit, quod
 videatur esse Sanctorum Patrum statuta contrarium, id
 non pro omnibus debere intelligi dicit, sed solis Anglis
 ex quadam commiseratione fuisse concessum. Ex quibus
 aperte convincitur, Gratianum male conciliasse dictum
 Gregorii in cap. Fraternitas, quod in faciem pugnare vi
 deatur cum sententia Eusebii Papae, quae posita erat in
 cap. In legibus, eadem causa & quaestione. Nam post verba
 illorum duorum Pontificum, haec quae sequuntur, subjun
 git Gratianus. Verbum illud Eusebii de legum severitate,
 istud Gregorii de ecclesiastica mansuetudine dictum intelli
 gitur. Haec ille. Melius certe (ut ex his verbis Gregorii,
 quae ultimo citavimus) constat, illa duorum Pontificum
 decreta conciliasset, si sic dixisset. Illud Eusebii universale
 est, quia ab omnibus & circa omnes observari debet: Istud
 Gregorii particulare est privilegium, solis Anglis ex
 quadam miseratione pro eo tempore concessum. Quae omnia,
 si bene & diligenter fuisset perscrutatus glossator, non
 fuisset tot angustis pro intelligentia illius, textus praepre
 ditus, ut modo in hanc, modo in illam se venterer sen
 tentiam. Nam aperte intellexisset illa non pro omnibus,
 sed pro solis Anglis fuisse decreta, ac proinde non esse in
 de deducendam regulam ad omnes generalem. Sed licet
 daremus illa, quae constat esse in particulari dicta, debere
 de omnibus intelligi, nihil ex verbis beati Gregorii col
 ligi poterat, nisi quod ab eo qui res Ecclesiasticas
 furto surripuit, non est aliquid ultra rem furivam loco
 poenae recipiendum; quia de solis illis rebus Gre

go

ger, ex novo testamento apertissimam protulimus legem hoc idem efficientem. Deus autem, ut illic dixi, nunquam illas statuisse, si legi naturæ vel tantillum adverterentur. De lege positiva divina non est opus contendere, cum luce clarius sit, nullam talem legem divinam esse, quæ aliquid simile statuat. Omisiss igitur in hac parte Theologis, veniamus ad juris humani peritos, qui meæ opinioni adversam tuerentur sententiam, & petamus ab eis alicujus canonis aut legis textum apertum, ut ostendant nobis se ab illo convictos, aut saltem persuasos fuisse, ut talem constanti animo merito tenerent sententiam. Et firmissime credo, quod licet hoc ab illis instanter petamus, & ad hoc faciendum vehementer illos urgeamus, nunquam nobis talem canonem aut legem ex jure Pontificio aut Cæsareo proferent. Sed ne quis me in hac parte velut temerariam & arrogantem accuset, quod homo Theologus, & qui omnia jura non poterant evolvere, audeam dicere, nihil tale in jure reperiri, profero in hujus rei testimonium Joannem Ferrarium, virum in utroque jure doctissimum, qui in leg. Quod à quoquam, ff. de regulis juris. hac verba ait: Nusquam enim invenio etiam in sacris canonibus expressum, quod poena non debeat, tantum abest, ut exacta repeti possit. Hac ille. Et inde, ausus sum dicere, nullam talem legem inveniri: quia si aliqua talis esset lex, non dubito, quin illam sæpissime usque ad fastidium citassent Jurisperiti, qui de hac re differunt; præsertim cum in aliis rebus leges & jura usque ad nauseam citare soleant, etiam in rebus quæ per se notissimæ sint, & ad quarum probationem non erat opus legem aliquam citare. Hoc autem faciunt tam frequenter, & tam abunde, arque tediose, ut multo plures chartas impleant citationibus suis, quam in proferendis sententiis suis: adeo, ut si à quovis magno aliquo illorum opere testimonia legum & canonum, & aliorum Auctorum illic citata subtraxeris, & solam rerum sententiam reliqueris, ingens & immensum illud opus in parvum aliquod opusculum rediges. Si nostris Theologis, qui hæctenus res theologicas tractarunt, ad hunc modum scribere placuisset, tot & tam immania fuissent illorum volumina, ut unius solum aut alterius opera sufficerent ad magnam aliquam Bibliothecam implendam. Nam omnia omnium opera nec maximum aliquod ædificium capere potuissent. Subinde tamen in executionem tam frequentis & tam proluxæ citationis occurrunt nobis illud: Erubescimus sine lege loqui. Quam sententiam jam illis in proverbium versam, perperam (ut ego existimo) illi usurpant, & intelligunt. Nam si per hoc quod dicunt, sine lege loqui, idem intelligunt, ac si dicerent, sine citatione alicujus legis, nihil certe dici potest imperitius, nihil etiam absurdius, quam non esse sine tali lege loquendum. Quia talis legum citatio non est facienda in re clarissima, & de qua nulla est controversia, sed in sola re dubia, & de qua non inter omnes convenit, aut saltem in re tali, quæ non sit omnibus manifesta, & de qua merito quis dubitare possit. Alioqui certe injuriam faciet rei, quam asserit, quoniam per hoc solum quod leges ad illas probationem citat, videtur illam suspectam, aut dubiam, aut saltem non manifestam facere. Sine lege loqui mihi idem videtur, ac loqui sine ratione, & sine judicio, & sine modo: & qui sic loquitur, merito erubescere debet. Plus ergo erubescere deberent, quam tot leges sine lege profundunt etiam ad rei se notissimæ probationem. Nam tam frequens & tam proluxa legum, & canonum, & Doctorum citatio ad solam proficit memoriæ ostentationem; non autem ad meliorem interpretationem,

aut majorem confirmationem rei de qua tractant. Quæ res non parvum solet audientibus aut legentibus generare fastidium, & sæpe illorum perturbare memoriam. Quis non fastidiret historiographum, aut hominem in communi colloquio aliquid enarrantem, qui pro qualibet re, quam profert, multitudinem testimoniorum citaret. Ob quam causam videtur mihi optime dici posse Jurisperitis, cum tam proluxa legum & canonum citatione loquentibus, id quod Samiorum legatis olim Lacedæmones dixisse, Plutarchus memorat. Nam cum illi apud Lacedæmones nimum prolixam orationem habuissent, illi tantam prolixitatem fastidientes, responderunt: Priora quidem oblitivi sumus, & posteriora non intelleximus; propterea quod priora, ex quibus illa pendebant, jam exciderunt de memoria. Sed his omisiss, quæ oblata occasio me obiter dicere coegit, opus est, ut ad id, quod primo dicebam, meam reducam orationem. Dico igitur, me firmissime credere, nullam esse in jure, sive Pontificio, sive Cæsareo, legem, quæ aperte decernat aut declaret, nullam legem poenalem obligare in foro conscientie: reum ad poenam subeundam sine alia Judicis sententia. Quia si aliqua talis esset, illam pro se citassent Jurisperiti, qui de hac re differentes, contrariam nobis tuerentur sententiam. At nullam talem legem aut canonis textum expressam pro hac re citarunt apud aliquem illorum inventi, etiam hoc diligentissime ab illis quaesiverim. Sed ne gratis & sine ullo testimonio suam opinionem tam Theologi quam juris humani periti tueri viderentur, proferunt pro se cap. Cum secundum leges, de hæreticis, lib. 6. ubi Papa postquam in principio capituli privavit hæreticum dominio bonorum suorum, tandem in §. Confiscationis, prohibet, ne fiscus bona illius apprehendere possit, antequam Judex Ecclesiasticus declaraverit illum in crimine hæresis incidisse. Et inde videtur illis colligi, ut in omni lege poenali, quæ poenam aliam à censuris statuit per sententiam latam, sit semper expectanda sententia Judicis, qua declaret crimen esse commissum, antequam legis transgressor teneatur subire poenam à lege statutam. Sed qui sic ex textu illius capituli argumentantur, bis per omnia peccant: quoniam falsum assumunt, & pessime inferunt. Primo quidem falsum est id, quod dicunt in illo §. Confiscationis, præcipi, ut prius Judex Ecclesiasticus declaret aliquem esse hæreticum, antequam sententia illius cap. Cum secundum leges, mandetur executioni. Et ut falsitatem hujus dicti apertius declarare valeamus, oportet primum præsupponere unum, quod est ab omnibus concessum, videlicet quod dominium alicujus rei, & illius possessio sunt duo inter se diversa, quorum utrumque ab altero separari potest. Hoc autem re ipsa comprobatur evenire, quando quis factus est hæreticus, & nondum est de suo crimine damnatus. Tunc enim hæreticus habet possessionem sine dominio, & fiscus è contrario habet dominium sine possessione. In prima parte illius cap. Cum secundum leges, Papa privat per illum canonem hæreticum dominio bonorum suorum, & nihil profus in illa parte loquitur de privatione possessionis. Tandem in illo §. Confiscationis, agit de possessione, & præcipit Papa, ut quamvis hæreticus sit à tempore commissi criminis privatus dominio bonorum suorum; fiscus tamen non possit tollere possessionem bonorum illorum ab hæretico, nisi prius Judex Ecclesiasticus declaret illum esse aut fuisse hæreticum. Et ut melius & facilius lector agnoscat verum esse id, quod dico, decrevi verba illius paragraphi illi ob oculos proponere, quæ talia sunt: Con-

sificatiois tamen hujusmodi executio, vel bonorum ipsorum occupatio fieri non debet per Principes, aut alios dominos temporales, juxta Gregorii Papæ prædecessoris nostri declarationem, antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata. Hæctenus verba textus. Ex his omnibus apertissime constat, duas res valde diversas tractari in illo cap. Cum secundum leges. In prima parte Papa differt de dominio bonorum hæretici: in secunda vero de possessione eorumdem bonorum. Et inde evidenter convincitur, falsum esse antecedens, quod in illa argumentatione assumebatur. Papam videlicet illic præcipere, ut sententia ab illo contra hæreticum in priore parte capituli data, non mandaretur executioni, antequam Judex Ecclesiasticus proferret sententiam criminis declarativam. Nam cum sententia in illa priore parte capituli contra hæreticum data (ut jam diximus, & ex ipsa littera constat) non sit privatio possessionis, sed privatio domini: & hæc domini privatio jam est posita in executione ante sententiam Judicis: quia licet, ante illius sententiam non sit privatus possessione, est tamen jam privatus dominio; convincitur inde evidenter jam in casu illius cap. Cum secundum leges, non esse necessariam Judicis sententiam declarantem crimen esse commissum, ut hæreticus incidat in poenam illius capituli. Quoniam (ut nunc dixi, & omnes Jurisperiti præter Archidiaconum fatentur) hæreticus à tempore commissi criminis, etiam ante Judicis sententiam, amisit dominium bonorum suorum. Angelus de Peruso in Authentica de incestis nuptiis, aperte innuit, se ad hunc modum intellexisse textum illum. Nam postquam numero secundo dixerat, quod ubi lex dicit aliquem privari jure suo, quod intelligitur ipso jure absque sententia, tandem num. 4. hæc quæ sequuntur, ait: Ex prædictis dico, quod si statutum dicat, quod quicumque commiserit homicidium, sit suis bonis ipso jure privatus, vel quod notarius sit ipso jure privatus notariatu pro commisso homicidio, licet homicida privatus sit ipso facto, tamen bona non possunt auferri sibi, nisi prius condemnentur de homicidio. Quia oportet prius constare per sententiam, quam bona auferantur ei, ut dicta l. Ejus qui delatorem, ff. de jure fisci. Hæc Angelus, qui satis aperte dicit, sententiam non esse necessariam ad privationem bonorum, sed ad apprehensionem illorum, quia solum illud primum erat poena legis. Sed apertius huic meæ sententiæ, quæ textum illum sic intelligendum esse censo, favet Felinus, vir in jure Pontificio illustris, & unus ex optimis ejusdem juris interpretibus, qui in cap. Canonum statuta, de Constitutionibus, num. 44. postquam dixerat poenam ipso jure impositam debere in foro conscientie, hæc quæ sequuntur, nec uno mutato verbo, subjungit: Non etiam obstat huic limitationi, quod in poenis impositis ipso jure requiritur declaratio, ut dicitur in cap. Cum secundum leges, de hæreticis, lib. 6. Quia non requiritur declaratio, ad hoc ut poena incuratur, est enim jam incurra; sed ad hoc ut bona possint apprehendi per fiscum, cum non consistat de delicto incurso, secundum Bartholum in leg. Ejus qui delatorem, ff. de jure fisci. Nec in declaratis impositis poena, nec de ea fit mentio, sed dicitur delictum commissum esse. Quo declarato, statim poena jam incurra exigitur, secundum Dominum Abbatem in cap. Pervenit, leg. 1. de appellat. Et prius non debuit apprehendi, quia forte non constabat secundum Dominum Abbatem in cap. Verum, in ultima columna, de foro competenti. Hæctenus Felinus.

Cujus verba ideo ad integrum citare decrevi, ut ex re ipsa lectori constet, Felinum meæ favore sententia. Nam ita me semper in hoc opere facturum spondeo, ut hac via omnem falsæ citationis suspicionem, quam lector concipere potuisset, ab illo propulsa rem. Et eodem modo intellexisse videntur textum illum omnes illi Doctores, quos in præcedenti capitulo in meæ opinionis patrocinium citavi. Nam omnes illi est dicant legem poenalem, quæ sententiam continet à jure latam, statim sine ulla alia sententia obligare reum in conscientia ad poenam; ad executionem tamen poenæ ab alio faciendam, dicunt semper esse necessariam sententiam criminis declarativam, ut per illam constet de crimine commisso. Et ob hanc causam, quando crimen sine sententia est notum, multi ex illis (ut illic diximus) sentiunt talem sententiam non esse necessariam. Peccat secundo illa præinducta argumentatio ex mala consequentiæ illatione. Quoniam est gratis concedamus, quod in casu illius cap. Cum secundum leges, sit statutum, ut Judicis sententia expectetur antequam legis transgressor teneatur subire poenam in illo cap. statutum, non ideo consequens est, ut in omni alia poena ipso jure imposita, sit idem necessario faciendum. Nam ex singulari inferre universalem (ut est evidens apud dialecticos) pessima est consequentia. Quod si quis forte ad hujus consequentiæ probationem adducat argumentum ex rerum similitudine, ex qua evenire solet, ut quod in uno aliquo exemplibus statutum est, idem in omnibus aliis similibus statutum esse intelligatur. Hoc argumentum facile enervatur per hoc, quod licet talis similitudo habeat, in aliis negotiis potestatem, circa impositionem tamen poenarum ea regula fallit. Nam (ut cap. 7. libri primi aperte probavi) argumentum à simili circa poenas inferendas non valet, ut docet glossa in cap. In poenis, de regulis juris lib. 6. Et si forte daretur argumentum tale valere in poenis à Judice inferendis, nunquam tamen hoc concedendum est in poenis, quæ sunt ipso jure impositæ. Nam licet glossa in Clementina prima, in verbo prædicti, de Rescriptis, & Philippus Francus in cap. primo de temporibus ordinationum, lib. 6. dicant constitutionem poenalem, quæ continet sententiam ferendam propter identitatem rationis posse extendi ad casum in constitutione non expressum; hoc tamen non esse admittendum in lege poenali, quæ sententiam continet latam, docet Joannes Andreas in cap. Odiā, de regulis juris, lib. 6. Deinde, est gratis & libere illis concedere vellem, constitutionem poenalem, quæ sententiam continet latam, posse extendi propter eandem causam ad alios casus similes illi, de quo agitur in constitutione; hoc tamen tunc solum verum esse, quando res essent vere similes, ita ut nulla possit inter eas reperiri notabilis dissimilitudo, quæ illas circa negotium de quo agitur, merito distinguere & separare valeat. At crimen hæresis, de quo agitur in cap. Cum secundum leges, est valde dissimile aliis criminibus. Nam de crimine hæresis non potest judicare laicus, ad quem spectat confiscationem, vel bonorum apprehensionem facere. In aliis autem criminibus, propter quæ est ipso jure privatio bonorum imposita, laicus potest de crimine censere, & bonorum apprehensione facere. Et hæc dissimilitudo satis est, ut quod de uno dicitur, non sit de alio intelligendum. In crimine hæresis, quia de illo laicus judicare non potest, merito constitutum est, ut antequam fiscus bona apprehendere possit, Judex Ecclesiasticus declaret verum esse crimen hæresis, propter quod merito sint bona confiscanda. Quia nisi id fieri oporteret, sæpe coningeret bona sua

riam esse censent, ut reas sit in conscientia obligatus ad poenam ipso jure impostam. Philippus Decius putat quod eadem ratione qua dicitur legem, quae continet sententiam a iudice ferendam non obligare in conscientia, eadem ratione sit dicendum idem de lege quae sententiam continet latam, etiam si reus sit damnatus. Quia in re apertissime deceptus est Philippus Decius, prout clarus ostendit in quarto principali argumento, ubi de hoc errore aliquid dicere oportebit. Et quia visum est illi idem per omnia esse de omni lege poenali dicendum, ne diceret nullam legem poenalem obligare in conscientia, in aliam extremam transiit sententiam, quae cum ista, velut ex diametro pugnat, dicens, omnem legem poenalem, si iusta sit, obligare in conscientia. Sed revera non miror quod sic erraverit, quia non fuit ille ita sapiens in his quae ad forum conscientiae spectant, sicut in his quae spectant ad forum contentiosum. Nam illa, quae ad solum forum conscientiae spectant, melius a Theologis intelliguntur, quam a iuris humani peritis, quibus potissimum convenit de his quae ad forum contentiosum pertinent, differere. Dicit adhuc aliam sententiam Philippus Decius in ultimis verbis quae supra citavi, in qua miserrime errat, & non advertens quid loquatur, sibi ipsi contradicit. Dicit enim quod lex quae poenam imponit, ratione poenae, non plus vel minus conscientiam adstringit. Ut aperte ostendam Philippum Decium in hac sententia errare, & sibi ipsi contradicere, ponamus ob oculos legem ultimam. C. Locati per quam prohibetur militibus res alienas conducere, quod si fecerint, ipso facto, sine ulla sententia cadant a militia. Haec lex, seclusa poena, obligat milites solum ad non conducendum res alienas, poena autem posita obligat ad cadendum a militia: ergo ratione poenae plus conscientiam adstringit. Et idem potest probari de quacunque lege poenali mixta, quae ultra id quod primo statuit, ad meliorem illius observationem, poenam aliquam contra illius transgressores decernit. Sed Philippus Decius ideo in hac sententia deceptus est, quia non consideravit legem poenalem, nisi circa id quod potissimum ab illa statuitur, pro cuius meliori observatione imponitur poena: & respectu illius verum est, quod lex poenalis (ut ipse ait) ratione poenae, non plus vel minus obligat. Sed de tali obligatione non erat quaestio apud Abbatem in capit. Canonum, de Constitutionibus, nec nos etiam de tali obligatione nunc differimus, quia de illa satis abunde in primo huius operis libro disputavimus. Nam de ea potestate & obligatione legis poenalis differimus, quae solum respicit poenam, & de illa loquitur glossa in cap. Fratrenitas, & Abbas in praedicto cap. Canonum. Et de tali obligatione falsum est (ut jam probavi) quod dicit Philippus Decius, legem poenalem, non plus vel minus obligare ratione poenae.

Obsecro te hic iterum candide lector, ut omnem humanum a te secludas affectum, ut ex his quae diximus libere censere valeas de intelligentia illius tam celebratae glossae in capitulo Fratrenitas. Nam si absque contentione desiderio, sed solo studio veritatis cognoscendae haec legisti, non dubito quin facile agnoscat famofam illam glossam, & a multis Jurisperitis valde celebratam tam vulneratam ab illis esse, ut juxta illorum intelligentiam multis medicis fuerit illi opus, ut salva consistere posset. Nullum autem remedium ad illius protectionem fuisset opus inquirere, si illam non dilacerasset, nec a suo sensu deflexissent, plus illam dicere cogentes, quam illa dicere voluit.

Tertio contra meam conclusionem quam in praecedenti capitulo asserui, argui potest, quod ex illa sequeretur

quod reus teneretur ad bibendum venenum, aut ad mortem sibi inferendam, aut ad manendum in carcere postea damnandus ad mortem, si lex aliqua latam sententiam continens, aliquam istarum poenarum statueret contra reum. Hoc autem est falsum, quia nemo unquam se ipsum nisi Deo praecipiente occidere debet, aut facere aliquid unde via naturali necessarium sit sequi mortem. Quod autem hoc ex mea conclusione necessario sequatur, ex eo forte aliquis probare contendet, quod ego universaliter & sine ulla restrictione dixi in mea conclusione, omnem legem poenalem quae sententiam continet a iure latam, obligare reum in conscientia ad poenam in illa statutam, quamvis non sit a iudice condemnatus ad illam. Ex qua universali sententia aperte colligi videtur, quod si aliqua talis lex statueretur, quae ipso jure obligaret reum ad bibendum venenum, ille teneretur ad bibendum illud. Hoc argumentum minimum mihi tribuit laborem, quoniam ex illis quae capite 3. huius secundum libri dixi, facillime illi responderi potest. Nulla lex humana, nullaque humanus iudex potest praecipere homini, quamvis morte dignissimo, ut seipsum quovis modo perimat. Solum Deus qui est Dominus vitae & mortis, & qui potest occidere & vivificare, potest etiam praecipere homini quamlibet iusto, ut se ipsum interimat. Nam Augustinus (ut supra retulimus) dicit Sansonem, divino Spiritu suggerente, se ipsum simul cum aliis interemisse. Homo autem, quia non tantam super alium hominem habet potestatem, ideo nullo modo potest hoc alii homini verbo, aut lege ab eo statuta praecipere. Et si hoc verbo, aut lege scripta praecipisset, peccaret, & praepcepto illius, quia injustissimum esset, nullus deberet obedire, immo peccaret obediendo, & contra Deo reus mortis iudicaretur. Et ideo nunquam haec tenus, nisi forte apud barbaras & indomitas gentes, quae Deum non noverunt, data est lex, quae reum ad similes poenas obligaret: neque unquam lege decretum est, ut reus, quamvis sceleratissimus, & mille mortibus dignus, sit ipso jure ad similes poenas damnatus, sed semper committitur iudici, ut tales poenas sceleratis hominibus, quos juxta legum decreta dignos illos esse noverit, inferre procuret. Turcis hanc esse morem ferunt, ut is cui eorum Imperator supremus praepcepit se ipsum interficere, statim obtemperet putans, se nisi id fecerit, Imperialem Majestatem gravissime laesurum. Sed hoc forte ideo faciunt quia Regem suum, prout Persae faciunt, tamquam Deum adorant, & ideo illius tamquam Dei praepcepto contradicere nefas esse putant. De his tamen & aliis similibus gentium moribus, quoniam a lege divina & naturali ratione longissime abstant, dicit Dominus per Hieremiam Prophetam, cap. 10. *Juxta vias gentium nolite discurrere.* Quarto contra nostram principalem conclusionem arguitur, per hoc quod poena imponitur ad terrorem aliorum, ut dicitur in l. Aut facta, ff. de Poenis: ergo non statuitur propter ipsum delinquentem, & per consequens non obligat illum in foro conscientiae. Hoc argumento probare nititur Abbas in illo saepe dicto cap. Canonum, de constitutionibus, legem poenalem, quae sententiam a iudice ferendam continet, non obligare in conscientia. Et quia optime intellexi illud argumentum, si aliquid efficere valer, aequo probare de lege quae sententiam continet latam, cap. de illa quae solum sententiam continet a iudice ferendam, ideo decrevi illud mihi ipsi objicere, praesertim cum videam Philippum Decium propter hoc argumentum dicere, reum, licet jam sit condemnatus, non magis esse obligatum ad poenam ipso jure impostam, quam ad poenam a

iudice ferendam. Nam in illo cap. Canonum, num. 20. ponitur quintam conclusionem dicentem, quod poena quae imponitur a lege pro delicto in foro conscientiae non debetur, juxta sententiam glossae in cap. Fratrenitas 12. quaest. 20. Et ab hac generali conclusione refert, Abbatem excipere illam poenam, quae imponitur ipso jure, aut ipso facto. Quibus omnibus praeratis suam aperit sententiam his verbis dicens: Sed ista dicta non videntur procedere sine dubio stante conclusione supra dicta pro vera. Quia si non tenetur ad poenam, quae ratione delicti imponitur, pariter non debet teneri, licet poena ipso jure sit imposta, vel condemnatus sit: quia ratio quae potest considerari in conclusione, ut quis in conscientia ad poenam non obligetur, utique etiam militare videtur in praedictis casibus. Haec Philippus Decius. Ex quibus verbis aperte constat, illud sentire omnes leges poenales pares esse in potestate obligandi ad poenam. Et quod magis miror, nullum potuit in ipso reo discernere, si ve ille damnatus esset, si ve non. Itaque jam sibi persuaserat nullum esse inter leges poenales, quantum ad obligationem ad poenam, discernim. Et quia non ausus est dicere nullam legem poenalem obligare in conscientia ad poenam, ideo coactus fuit (ut jam in secundo argumento dixi) sentire omnem legem poenalem aequo obligare ad poenam in foro conscientiae. De hoc ultimo non est opus nunc repetere aliquid: quia jam in sine secundi argumenti principaliter aperte ostendi hujus delicti falsitatem. De primo autem quod ait, non esse majorem potestatem ad obligandum ad poenam in sententia lata, quam in sententia ferenda, nunc differere oportet, & rationem qua ad id dicendum motus est, examinare. Quia, inquit, ratio quae potest considerari in conclusione, ut quis in conscientia ad poenam non obligetur, utique etiam militare videtur in praedictis casibus. Philippus Decius aliorum omnium ingenia ad solum suam mensuram metiri volens, quod se assequi non posse perspexit, aliis esse profus impossibile dixit. Ille forte nullam aliam praeter illam quam Abbas adduxit rationem, agnovit, ad probandum legem poenalem, quae sententiam a iudice ferendam continet, non obligare in conscientia ad poenam. Et quia hanc vidit aequo probare de una lege, ac de alia, ideo ausus est dicere nullam esse rationem, quae probare valeat de una, & non de alia. Ob quam causam optime (ut cenfeo) aptari potest illi id quod quidam alteri negotii serviens elegantissime his verbis dixit:

Noctua Phaebum visu non sustinet orbem.
Hoc Jovis armigeri summi putat esse negatum.
Sic genus exangue suis quod viribus impar
Autumat, Hercules excellere deputat ausus.

Sed opus est aliam rationem offerre, ut vel sic ostendam aliquid ab aliis posse inveniri, quod ille non invenit, & sic convincamus illum injuste egisse, quum ex sola sui ingenii mensura omnium aliorum ingenia dimensus est. Capite secundo huius secundi libri ego obtuli rationem, qua evidenter probavi legem poenalem, quae solum sententiam a iudice ferendam continet, non obligare in conscientia ad poenam ante iudicis sententiam. Illa autem ratio non idem probat de lege poenali, quae sententiam a iure latam continet, & inde convincitur magnum esse respectu obligationis ad poenam inter duas illas leges discernim. Est autem haec ratio: Omnis lex poenalis obligans reum ad poenam, explicat suis verbis reum esse obligatum ad illam. Nulla lex quae statuit poenam solum a iudice inferendam, exprimit reum esse obligatum ad poenam: ergo nulla lex quae statuit poenam a iudice inferendam, obligat reum ad ta-

lem poenam. Consequentia bonitas est notissima illi qui vel mediocriter Dialecticam novit: quia est in secunda figura in modo notissimo, videlicet Camestres. Major etiam est nota ex his quae in primo totius operis capite diximus, ubi ostendimus necessariam esse legis publicationem, ut illa obligare possit. At, quod illa suis verbis non exprimit, idem est, ac si in mente legislatoris mansisset, & non fuisset verbo, aut scripto publicatum. Minor etiam est nota ex contextu verborum: quia si lex illa aliquid in se verbum haberet, per quod ostenderet se obligare reum ad poenam sine iudicis sententia, tunc illa lex sententiam latam contineret, & non sententiam solum a iudice ferendam. Nullam enim est verbum in tali lege, per quod lex indicet se infligere poenam reo, aut praecipere illi, ut ipse illam poenam reddat. Et inde convincitur, ut reus non sit in conscientia obligatus ad illam, quia non tenetur nisi ad id quod sibi praecipitur, aut prohibetur. Et certe haec duo pugnant inter se, quod lex statuat poenam solum a iudice ferendam, & quod eadem lex obliget reum ad illam poenam. Haec autem tam evidens ratio nihil agere potest contra legem quae sententiam a iure latam continet. Nam huiusmodi lex semper aliqua verba continet, per quae aperte exprimit se infligere poenam reo, aut praecipere illi ut ipse talem reddat. Primum sit in omnibus legibus quae poenam excommunicationis, aut suspensionis, aut irregularitatis, ipso jure, aut ipso facto imponunt. Nam huiusmodi censurae secum trahunt executionem, prout specialiter definitum est de excommunicatione in cap. Pastoralis, de Appellationibus. Et idem etiam contingit in privationibus bonorum, quae ipso jure sunt per legem impostae, ut in crimine heresis, aut laesae majestatis. Quia in huiusmodi criminibus lex non expectat iudicem, ut privet reum bonis illius, sed ipsamet lex privat illum. Aliquando contingit, ut lex ipsa non infligat poenam, sed distinctissime praecipit reo, ut ipsemet reddat illam: & tunc sic praecipiendo, aperte ostendit se imponere obligationem ad poenam. De hac re sunt plurima exempla, quae si quis videre optat, legat caput sextum huius secundi libri, praesertim in tribus primis paragraphis, in quibus multa huiusmodi exempla proponuntur. Nunquam aliquid horum contingit in lege poenali quae sententiam non latam, sed solum a iudice ferendam continet. Et hinc sumitur evidens argumentum ad probandum non esse parem potestatem respectu obligationis ad poenam (ut Philippus Decius putavit) in utraque lege poenali. Alia ratio quam Abbas protulit ad probandum de una lege poenali, quod non obliget in conscientia, & quod altera obliget, nullius profus est valoris: & ideo ingenue fateor illam iuste a Philippo Decio reprehendi. Quia si illa aliquid efficere valer, perinde probat de una lege, ac de altera. Et ob hanc causam cogor illi respondere quatenus me impetere videtur, qui potestatem legis poenalis quae sententiam continet latam, tueror. Sic enim arguit Abbas. Poena imponitur ad terrorem aliorum, ut dicitur l. Aut facta, ff. de Poenis: sed si in foro conscientiae, quod est secretum & occultum, obligaret, alios terrore non posset: ergo poena non obligat in foro conscientiae. Consequentia ista inde videtur probari, quod cessante ratione legis, ipsa lex pariter cessare debet. Huic argumento respondet Philippus Decius in illo saepe citato cap. Canonum, numero 20. quod poena non solum imponitur ad terrorem aliorum, sed etiam ut delictum puniatur. Et ego intuper addo, quod neque ob illud solum imponitur poena, sed etiam ut delicta evitentur, & ut delinquens urgente poena respiciat, & vitae conditionem com-